DE

UTERI HAEMORRHAGIA.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSI

MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITTERARIA BEROLINENSI,

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR,

DIE XI. M. FEBR. A. MDCCCXXVI.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENSURUS EST

AUCTOR

AUGUSTUS HENRICUS BAEHRENS

MEINERTSHAGENSIS - GUESTPHALUS.

OPPONENTIBUS:

KRAUSE, *MED. DD.*

RUEDORFF, *MED. DD.*

MAY, *MED. BACCAL.*

BEROLINI,

TYPIS REIMERIANIS.

VIRO

CLARISSIMO, AMPLISSIMO,

EXPERIENTISSIMO

WEBER,

UTRIUSQUE MEDICINAE DOCTORI, LEGIONIS XXXIX IN BORUSSORUM EXERCITU MEDICO, CRUCIS FERREAE EQUITI.

NEC NON

VIRO

CLARISSIMO, AMPLISSIMO,

EXPERIENTISSIMO

PRAETORIUS,

UTRIUSQUE MEDICINAE DOCTORI, LEGIONIS XXX IN BORUSSORUM EXERCITU MEDICO, PLURIUM ORDINUM EQUITI.

NEQUE MINUS

PATRI

CARISSIMO, DILECTISSIMO

A. C. F. BAEHRENS,

MEDICO APUD MEINERTSHAGENSES.

HAS

LITTERARUM PRIMITIAS

CUM REVERFNTIA AC PIETATE

D. D. D.

AUCTOR.

Introductio.

Quemadmodum nutrimenta per os accepta externum, ita sanguis per vasa circumvectus internum corporis vitaeque pabulum exhibet, quo omnes partes aluntur, amissaeque instaurantur. Etenim cibi potusque in tubum intestinalem ingesti, eam experiuntur mutationem, ut particulae nobiliores chyli et sanguinis naturam induant, ignobiliores tanquam retrimenta, per vias excretorias foras projiciantur. Quibus causis et conditionibus illa mutatio debeatur, hic disquirere non licet, haud ignorare autem oportet, corporis universi valetudinem a sanguinis indole justaque copia pendere, eandemque prosterni, si vel prava partium constituentium ratio oboriatur, vel plus nimio corpori subducatur. Hinc illud morborum genus, quod haemorrhagiarum nomine salutatur, notatu est dignissimum, quippe quod, vitae pabulum internum diminuendo, non solum vires, ad sustinendam institutionem organicam necessarias, infringit, verum etiam exhauriendo vitae discrimen saepe inducit. Non ignoramus quidem, aliqua sanguinis profluvia, per periodos recurrentia, ut fluxum menstrualem et lochialem ad naturae consilia perti-

nere, imo varias aegritudines, ut capitis temulentiam et dolores, exanthemata acuta, febres et inflammationes ortis haemorrhagiis levari; at sicut externorum nutrimentorum nimia ubertas, ita internorum abundantia quandoque nocet corpori naturaque ita sibi succurrit, ut vel solitis, vel insolitis viis quandam eorum partem emoliatur. Praeterea singularis quorundam sanguinis profluviorum, ut menstruorum et lochiorum, ratio est, si quidem corpus muliebre, ob functiones sexuales peculiares, ita institutum esse scimus, ut illam sanguinis portionem non modo absque detrimento amittat, sed amittere debeat. Licet istae sanguinis profusiones haemorrhagiis sensu strictiori adnumerandae non sint, quandoque tamen a norma solita ita aberrant, ut nomen illud jure sibi vindicent. Haec pauca praefatus, gradum faciam ad describendas eas sanguinis secretiones et excretiones, quae praeter naturam in corpore, praesertim in utero eveniunt.

§. 1.

Haemorhagiae notio.

Quodsi in etymologiam vocis „haemorrhagia" inquirimus, quam e Graecis petitam esse scimus (αιμα sanguis, ρεω fluo) quodcunque sanguinis profluvium ex aliqua corporis parte sensu latiori designari videmus. Pathologi autem hanc notionem eatenus restrinxerunt, ut modo profusiones sanguinis morbosas, i. e. vel in locis insolitis ex-

ortas, vel causis morbificis excitatas, hoc nomine intellectas velint. Largiamur ergo necesse est, haemorrhagias morbis esse interponendas, quanquam nonnullae earum, ut supra diximus, morbos quosdam mitigare, imo tollere valeant, diffiteri enim nequimus, naturam saepe numero unum morbum excitato altero propellere, qui, quum levior sit illo, aut sponte sua cedat, merito salutaris, vel criticus habetur.

§. 2.

Haemorrhagiarum divisiones.

Prout sanguis vel ex arteriis, vel e venis profluit, haemorrhagiae *arteriosae* et *venosae* distinguuntur; discrimen magni est momenti, quum multo plus periculi illis subsit, quam his, ergo promta medicaminum efficacia huic differentiae adaptari debeat. Sanguis porro vel e corpore effunditur, vel in cavo quodam naturali ejus, aut in tela cellulari accumulatur, quod haemorrhagiae vel *externae* vel *internae* nomen conciliat; perperam alii haemorrhagiam externam dicunt, quae causis externis, ut laesionibus mechanicis, excitatur, internam, quae vitiis vasorum dynamicis, vel chemicis originem debet. Indolis ratione haemorrhagiae exstant *sthenicae* (activae) et *asthenicae* (passivae) quarum illae non modo a turgore sanguinis adaucto, verum etiam vasorum secernendi facultate, nisi intensiori, certe extensiori, pendent, hae semper diminutum fibrarum vascularium tonum

supponunt; illae ut plurimum criticae sunt, v. c. in inflammationibus, hae perniciosae, ut in febribus nervosis, putridis in scorbuto etc. Notandum vero est, haemorrhagias asthenicas vel *erethicas* esse, vel *torpidas*, prout fibrarum vascularium receptivitas aucta, irritabilitas seu energia diminuta, vel utraque vis exhausta cernitur. *Reil* haemorrhagias cum indole *synochae*, *typhi* (erethismi) et *paralyseos* discernit, cui distributioni, quum praesertim medendi rationem indigitare videatur, nonnihil dignitatis sane largiendum est.

§. 3.

Facile est intellectu, unicuique praeternaturali sanguinis profluvio conditionem quandam anomalam vasorum sanguiferorum subesse, qui efficiat, ut, sublata secretioni vulgari, sanguis proruat. Illius vero conditionis anomalae duplex ratio exstat etenim vasorum continuitas vel integra, vel suspensa est, altero in casu sanguis facile viam invenit, qua possit emanare, in priori vis vitalis perversa tunicarum vascularium sufficientem haemorrhagiae causam praestat. Priusquam singulas harum causarum exponam, pauca disserere me oportet de quadam opinione, inter omnes fere medicos vigente. Perhibent nimirum, sanguinis profluvia interdum per anastomosin oriri, i. e. ostiola vasorum sanguinem reddere. Haec sententia eo nititur, quod vasa sanguifera ostiis apertis hiare putantur, alioquin enim illa effusio fieri nequit; quum

vero iis adstipulandum videatur, qui ullum vas in corpore orificio aperto gaudere negant, modo aucta parietum permeabilitas quibusdam in exemplis, deficiente vi mechanica, largienda est. Hinc, integra vasorum continuitate, haemorrhagia nonnisi per secretionem sanguinis, seu per diapedesin evenire potest, quae vel aucto vasorum labori, vel eorum laxitati originem debet. Quocunque enim irritamento, praesertim inflammatorio, arteriarum minorum actio ita intenditur, ut alternis constrictionibus sanguis in ultimos fines, alias serum vehentes, cum violentia propellatur et, quum secernendi facultas his quoque major sit, pro seroso latice sanguis edatur. Propterea his in casibus haemorrhagiae sthenicae, synochicae *Reilio* dictae, oriantur, necesse est, quum fibrarum vascularium tonus supra normam evectus, licet nimio sanguinis impetu superatus, appareat. Diapedesis vero sensu strictiori, seu transsudatio, locum habet, si parietes vasorum, tono carentium, adeo extenuantur, ut interstitia, seu pori, amplificentur sanguinisque liquidior pars permeare queat. Tales haemorrhagiae, quae ab exstincto vasorum tono pendent, omnino indolis asthenicae sunt, hisque adnumerari oportet eas, quae nonnullis, ut *Reil, P. Frank* et *Spangenberg* per paralysin oriri dicuntur, siquidem de resolutione ostiorum vascularium, uti supra exposuimus, disseri nequit.

§. 4.

Ratione sublatae vasorum continuitatis haemorrhagiae vel per *rhexin*, vel *diabrosin*, vel *diaeresin* ortae discernuntur, quarum quaeque lacerationem tunicarum vascularium, modo causis diversam, supponit. Rhexin scilicet vocamus vasorum rupturam, aut contentionibus corporis gravioribus, aut violento sanguinis impetu, vel ejusdem praeternaturali accumulatione effectam, v. g. si aneurismata rumpuntur. Hisce haemorrhagiis saepius vasa majora, imo cor ipsum, saepius arteriae, quam venae obnoxiae sunt, siquidem illis major est rigiditas, his major ductilitas. Diabrosis corrosionem denotat, haemorrhagia igitur per diabrosin orta dicatur, si vasorum sanguiferorum parietes exesi, vel materiis morbificis, intus collectis, ut sanie, vel acribus ingestis, ut venenis corrosivis vel denique forinsecus admotis, ut remediis causticis. Per diaeresin demum vasorum rupturam intelligas, quae mechanicis adminiculis, i. e. instrumentis cujuscunque generis est inducta.

§. 5.

Omissis aliis haemorhagiarum distributionibus, quippe quae aut minus stabili dividendi principio innituntur, aut exilioris sunt momenti, ea sanguinis profluvia breviter recensebo, quae variis aetatis periodis propria esse solent. Nemo nostrum ignorat, aetatem puerilem epistaxi, juvenilem haemoptysi, virilem haemorrhoidibus maxime esse ob-

noxiam. Si circa intimam hujus phaenomeni causam disquiras, scire oportet, quamque partem, evolutionis vices sustinentem, majori sanguinis copia indigere, ut nutritio ejus et incrementum adaugeatur naturaque consilia sua consequatur. Quanto plus sanguinis ad partem aliquam fertur, tanto major huic opportunitas conciliatur, ejus portionem profundendi, quum vel vasorum secernendi facultas, adjecto vitae augmento, intendatur, vel, extenuatis parietibus, eorum permeabilitas augeatur, vel, illis non sat renitentibus, rhexis exoriatur. Atqui infantibus ac pueris praecipue supremae corporis partes, ut encephalum et sensuum instrumenta, juvenibus respirationis et vocis organa, etenim ineunte pubertate vox mutatur, evolvi solent. Aetate demum virili evolutis omnibus partibus digestionis et assimilationis viscera firmantur, ut organismo evoluto majus robur concilietur; haec non ficta esse, sed vera, eo elucescit, quod corpus rare ante aetatem constantem, i. e. virilem plenius fieri incipit. En! abunde argumentorum, quae haemorrhagias, singulis aetatibus proprias, non fortuito oriri sed cum intima organismi institutione commercium habere, contestantur.

§. 6.

De uteri haemorrhagia.

Quum omnes partes, vasis sanguiferis instructae, sanguinem reddere possint, vix mirum videbitur uterum muliebrem, vasis ditissimum, ad hoc

morbi genus maxime esse propensum. Hoc eo facilius accidere potest, quum uterus per naturam ita institutus sit, ut per intervalla sanguinem, a corpore quasi alienatum, effundat. Uteri scilicet ea est functio, ut concipiat, factaque conceptione foetum nutriat; hanc ob causam largior sanguinis copia ad eum congeritur, ibique intra graviditatis periodum consumitur, ante et post hanc periodum vero portio ejus, ne natura typum consultum, i. e. periodicam sanguinis congestionem mutare cogatur, per vaginam foras propellitur. Quanta autem injuriarum turba exstat, qua institutio haec naturalis ita pessumdatur, ut functio primitiva uteri a norma recedat et secretio illa vel supprimatur, vel justo profusior appareat. Respicias velim graviditatem ipsumque parturitionis articulum, quibus sustinendis corpus muliebre saepe numero impar videtur, respicias uteri mutationes, partum excipientes, minimeque miraberis anomalias graves, inter quas metrorrhagia haud infimum locum tenet, numerosissimas irruere.

§. 7.

De expositione haemorrhagiae uteri artis salutaris professores omnis aevi bene promeruerunt, quum iste morbus, omnibus saeculis et undequaque obvius, plurimorum attentionem excitaret. *Hippocrates* pater (Coacar. lib. II. et III.) quod equidem invenire potui, non verbis disertis de metrorrhagia retulit, verum tamen quaedam, ad progno-

sin fluxuum muliebrium pertinentia passim adspersit. Recentiorum saeculorum autem multi iique praestantissimi satis prolixe de ea disseruerunt, inter quos *Fr. Hoffmann*, *Max. Stoll*, *Stahl*, *Osthoff*, *S. G. Vogel*, *G. Frank*, *Reil*, novissime autem *de Siebold* e *Billing* palmam sibi meruerunt. Auctores dictos interdum de morbi divisionibus, causis, indole et medela dissensisse, haud quidem inficiandum, verum tamen illae dissensiones, si diligentius eas examines, nihil habent controversi quod cum genuina morbi imagine conciliari non possit.

§. 8.
Metrorrhagiae diagnosis.

Diagnosis metrorrhagiae modo eatenus difficultates aliquas exhibet, quatenus interdum sanguis vel in ipsa uteri cavitate accumulatur, vel in ventrem infimum effunditur, vel quatenus mensium fluxus quandoque tam copiosus apparet, ut metrorrhagiae suspicio moveatur.

Priori in exemplo obstacula adsunt, quae, quominus sanguis foras prodeat, impediunt, v. c. sanguinis coagula spissa, placenta praevia, spasmus vehemens orificii uterini, etc. vel funiculi umbilicalis, aut uteri ipsius ruptura. Ceteroquin omnia symptomata, haemorrhagias internas significantia, in conspectum veniunt, ut virium summa prostratio, corporis pallor et frigus, animi deliquia praeter haec localia quaedam, ut dolor obtusus, magis magisque augescens loci aegrotantis, intumescentia

regionis uterinae; ventris inflatio etc. superveniunt. Denique causae praegressae et exploratio genitalium nos edocere solent, num talis metrorrhagia occulta sit conjicienda, nec ne. Aliquanto incertior diagnosis redditur, si menses largius justo fluunt, etenim haud quaelibet profusio sanguinis menstrui uberior haemorrhagiis interponenda est, quum non detrimentum, sed levamen corpori saepe afferat, ideoque cum naturae consiliis bene conspiret. Sequelae igitur potissimum respiciendae sunt, namsi molimina menstruationis, ante fluxum obvia, non modo sanguine largius effuso protinus evanescunt, verum quoque inanitionis signa apparent, quae supra descripsimus, jure meritoque haemorrhagiam in menstruationis locum successisse, judicamus. Hoc majori cum evidentia jam praesagiri potest, si mulieres infirmae, tenues succorumque inopes, inter menstruationis periodum plus sanguinis effundunt, quam corporis constitutioni atque viribus respondere videtur.

§. 9.

Ad propria menstruationis apertae, seu manifestae, criteria nunc revertam. Oblata causa occasionali, ad proferendam metrorrhagiam sufficiente, quidam antesignani apparent, quibus, quid fnturum sit, praenunciatur.

Excipiendae tamen sunt causae mechanicae, ut vulnera, quippe quae temporis spatium, quo ad manifestandos prodromos opus est, praecludunt,

quum

quum sanguinis cursus laesionem immediate subsequatur. Antesignani aliam atque aliam speciem prae se ferunt, prout haemorrhagia vel sthenica vel asthenica futura est; si sthenica, congestiones sanguinis vehementiores ad partes sexuales apparent symptomataque luculentissima atque infestissima proferunt, quae ex analogia aliarum congestionum facile deduci ac dilucidari possunt. Hinc artus inferiores pondoris alicujus sensatione obruuntur, ossis sacri regio pressionem, tendorem doloremque prodit, vesicae urinariae tenesmus exoritur, lotium cum ardore mingitur, venter infimus calet et sufflatur, partes sexuales externae tumescunt, magna Veneris cupiditas effervescit, perinaeum, labia pudendi et anus pruritu infestantur. Quandoque dolores atque tumores tuberculosi mammarum observantur humorque seroso-lymphaticus paulo ante haemorrhagiae introitum genitalibus effunditur. Valetudinem universam variis modis turbari, in confesso est, etenim febricula incidit, horror aestusque alternant, pulsus aequo frequentior plenus, durus, undosus, deprehenditur. Sin metrorrhagia asthenica imminet, aliquantum haec mutantur, nam gravior corporis languor viriumque prostratio, ciborum fastidium, partium periphericarum ardor et siccitas, propensio ad animi deliquia, pulsus parvus, debilis, intermittens antecedunt. Praeterea utroque in casu cephalalgia, vertigo, temulentia, nausea et vomitus, affectiones colicae, asthma, cordis palpitationes aliaque animadvertuntur.

§. 10.

Metrorrhagiae varietates.

Commodissimum duxi, metrorrhagiam, ut alias haemorrhagias, in sthenicam et asthenicam distribuere, quippe quae divisio satis succincta et ad medelam instituendam idonea mihi videtur. Excludendae tamen sunt illae metrorrhagiae, quae causis mere violentis, seu mechanicis originem debent, ideoque per se neque sthenicae, neque asthenicae vocandae sunt, quum laesionis genus medendi rationem determinet. Metrorrhagiae asthenicae, quum vel erethismum, vel torporem corporis sequantur, rursus in erethicas et torpidas dispescantur necesse est; quanquam enim sufficere videatur, si haemorrhagiam asthenicam esse sciamus, nequaquam tamen medela iisdem semper remediis absolvitur, certe adjuvantia, quae dicuntur, saepe discrepant. Ratione habita causarum, metrorrhagiae dividendae sunt in eas, quae mechanicis originem debent, illae igitur vel per secretionem, vel per transsudationem, hae per rhexin, diabrosin, aut diaeresin exortae vocantur. Quid discriminis inter secretionem et transsudationem seu diapedesin, intercedere putem, supra jam exposui. Alii differentiam faciendam censent, prout sanguis vel ex ipso utero, vel ex vagina proruat, equidem non interesse puto, etenim sanguinis fluxus e vagina vel plane segregandus est abuteri haemorrhagia, vel ei adnumerandus iisdemque divisionibus

submittendus. Nonnunquam typicae metrorrhagiae oriuntur, vel certis vel incertis intervallis redeuntes, quod prae primis evenit, si fluxus menstrualis in haemorrhagiam degenerare consuevit. Liceat denique, metrorrhagias simplices et complicatas discernere; complicari possunt vel topicis cum vitiis, vel universalibus, illis polypi, scirrhi et carcinomata uteri, nec non ejus inflammatio, his febris putrida, scorbutus similiaque, humores diluentia et solventia, interponenda sunt.

§. 11.

Metrorrhagiae ipsius rationes.

Quod attinet sanguinem, utero effusum, summa est diversitas, sive ejus quantitatem, sive qualitatem respicias, quod partim universi corporis constitutioni, partim aetatis periodo, partim causis excitantibus imputandum est. Quantitas modo tam exigua est, ut rectius stillicidium vocetur, modo tam prodiga, ut cum impetu sanguis proruat, et, nisi promtissime occurratur, repentina virium defectio, imo mors, inducatur; attamen stillicidia, si in longius protrahuntur, quod solent, non mediocrem sanguinis copiam emoliuntur. Sanguis, immediate profluens e vasis uterinis, vel colorem laete rubicundum, vel nigricantem offert, diutius in utero retentus, ater, coagulatus, foetidusque apparet, nonnunquam mucum, pus, ichoremve intermixtum exhibet. Sequelae metrorrhagiae non minus discrepant, quam modus et causae, etenim qui-

busdam in exemplis, v. g. in metritide, levamen affectionum obtinetur, in aliis vel subita mors, vel morbi secundarii perniciosi incidunt.

§. 12.
Aetiologia.

Per causam proximam metrorrhagiae conditionem vasorum anomalam intelligimus, quae, ut sanguis proruat, efficit. His elucescit, causam proximam vel dynamicae, vel mechanicae esse indolis: dynamicae, si vasorum continuitas integra, sed vel secretio luxuriosa, ob nimiam vasorum actuositatem, vel immodica, ob laxitatem et extenuationem, simulque cruenta apparet, quod supra secretionis et transsudationis nomine impertivimus; mechanicae, si vasorum tunicae integritate sua privantur, aut vulneribus laceratae, aut materiis acribus exesae. Si causam proximam quandoque in adaucta vasorum secernentium actuositate cerni contendimus, negare non oportet, hanc sententiam probatu difficilem esse, quam in aprico fere sit, sanguinem prodire non posse, nisi sanguinis impetus naturalem vasorum resistentiam vincat, ergo potius defectionem justae repugnantiae, quam nimiam actionem, i. e. energiam, esse culpandam. At vero fibrarum vascularium aucta irritabilitate fortiores oriuntur constrictiones, inprimis ramulorum tenuiorum, quibus fit, ut sanguis, largius advectus, exprimatur, secretoque seroso admisceatur. *Brown* ejusque asseclae hunc secernendi modum

negabant, multi autem recentiorum, interquos *Reil* et *Henke* eminent, eum defendunt. Argumenta non solum a ratione, sed etiam ab experientia petita sunt, etenim mulieres robustae, succulentae, lauto vivendi generi indulgentes, hisce metrorrhagiis, omnia inflamationis sthenicae symptomata referentibus, ut plurimum irretiuntur.

§. 13.

Causae disponentes.

Varias aetatis periodos opportunitatem ad haec illave sanguinis profluvia secum ferre, jam supra monuimus et dilucidare studuimus. Haec ad metrorrhagiam eatenus pertinent, quatenus plura observantur momenta, quae faciunt, ut, illata causa occasionali, multo facilius ac citius in hac, quam in illa muliere metrorrhagia existat; haec momenta disponentia solent vocari. Reliquis autem haemorrhagiis, ab aetate pendentibus ut plurimum dispositio universa, i. e. toti corpori insita, uteri autem haemorrhagiae saepius localis, i. e. genitalibus internis propria, subest. Principem locum inter causas disponentes haud dubie sibi vindicant:

1) Nimia incitabilitas, tam universi corporis in genere, quam partium sexualium in specie. Quum sanguis irritamentis, alicubi provocatis, obsequatur, quodcunque corpus incitabilius ad congestiones pronum est, quae uterum petunt, si huic vel stimulus major inest, vel tempus instat, quo sanguinis cursus, ad promovendum fluxum naturalem, eum versus citatur.

2) Infirmitas partium sexualium. Quo magis vasorum tonus infringitur, eo minus resistentiae sanguini irruenti objicitur eoque difficilius humores irruentes propelluntur, quo evenit, ut accumulatio eorum vel vires vitales actionesque naturales vasorum pervertat, vel continuitatem eorum elevet.

3) Vivendi ratio sanguinis congestionibus versus genitalia excitandis idonea, ut abusus nutrimentorum irritantium et calefacientium, v. g. spirituosorum, aromatum etc.

4) Vitia in fabrica vel uteri, vel conterminarum partium, quae songuinis regularem circuitum disturbant, ut polypi, scirrhi etc.

5) Aliae haemorrhagiae repercussae, praesertim habituales, ut fluxus haemorrhoidalis, quo in casu uterus actionem vicariam vasorum haemorrhoidalium suscipit et sanguinem illic retentum vel foras projicit, vel varices concipit.

§. 14.

Causae occasionales.

Hoc nomine eas comprehendimus, quae, oblatis internis ad metrorrhagiam conditionibus superveniunt, sanguinisque fluxum proliciunt.

Et ipsae vel dynamicae sunt, vel organicae, vel mechanicae; dynamicis accensentur: violenta animi pathemata, exaltatio partium genitalium aut imaginationibus libidinosis, aut nimio Veneris exercitio inflammationes uteri vicinarumve partium, febres inflammatoriae, remedia emmenagoga et pur-

rantia drastica ut aloetica, mercurialia, jalappa, gummi guttae etc. vita deses, nimius calor genitalium, insessus, profluvia aliorum humorum diuturna, corpus exhaurientia, ut fluor albus, diarrhoeae etc. Ad causas organicas refertur, quidquid uteri fabricam praeter naturae normam obsidet et vel vim vitalem alienando, vel texturam mutando, ejus functionibus obest. Causae mechanicae longe frequentissimae sunt: quaelibet violenta corporis contentio aut rupturam uteri vasorum praestare, aut excitato aestu tantas congestiones citare potest, ut rhexis paulo post incidat. Partus difficilis et abortus saepenumero causam occasionalem metrorrhagiae suppeditant, si quidem vel instrumenta obstetricia incautius adhibentur, vel placenta remanet, aut praemature ac violenter solvitur, vel uterus, longo exhaustus labore, contractionem recusat. Porro laesiones uteri gravidi aut non gravidi, contusiones, plagae, lapsus et quidquid vulnerum per instrumenta regioni uterinae infligitur, hoc loco ponenda sunt.

§. 15.

Prognosticon.

Si metrorrhagiam generatim intuemur, non possumus, quin dubiam praenunciationem augurenur, siquidem non solum morbus est gravior, verum quoque causas supponit difficiles remotu, sequelas damniferas inducit facileque ad reversiones propendet. Quodsi autem singula exempla con-

templamur, qualem offerant prognosin, varias conditiones metiri debemus, ut arbitrium ferre possimus. Prae ceteris consideranda venit indoles metrorrhagiae, sthenica enim meliora praesagiri jubet, quam asthenica, quoniam remedia debilitantia et antiphlogistica directa, quorum effectus promtissimi esse solent, audacius administrari queunt. Inter asthenicas meliorem eventum pollicetur erethica, quam torpida, haec enim extremam virium vitalium prostrationem testari consuevit. Sciscitari etiam oportet, quae sit aetas, quam inter omnes constet, mediam aetatem minus graviter affici haemorrhagiis, quam juvenilem atque senilem. Porro causarum ratio ad prognosin multum influit, quippe quae interdum adeo in expugnabiles sunt, ut omnia eludant auxilia citamque mortem inferant. Quaecunque metrorrhagia denique inter graviditatem, aut abortum, inter vel post partum oboritur, plurimum periculi minitatur, non solum quia plerumque est profusa facili exhaurit, sed etiam quia causae, eam excitantes, malae, imo letiferae inveniuntur.

§. 16.
Medela.

Si omnia ac singula, ad metrorrhagiae medelam referenda, ita describere conarer, ut nihil eorum omitterem, quae medicis nostri et antiquioris aevi probata sunt, ultra hujus opusculi cancellos longe spatiarer. Hanc ob rem, quam brevissime potero medendi indicationes memorabo et unicuique earum remediorum primariorum nomine subjiciam.

Prima nimirum indicatio id negotii sibi sumere debet, ut causae, quaecunque exstent, submoveantur, quae, cum dynamicae, aut organicae, aut mechanicae esse queant, modo haec, modo illa postulant auxilia. Si quis excessus in Venere aut abusus nutrimentorum vel medicamentorum est commissus, non modo protinus his abstinendum, sed quoque remedia, eorum effectus proximos elevantia, administranda sunt. Morbi dynamici uteri, aut corporis universi, ut metritis, febres inflammatoriae, antiphlogisticorum usum requirunt. Causae organicae ut plurimum medelam radicalem respuunt itaque palliativis remediis impugnandae et mitigandae sunt. Causae mechanicae potissimum chirurgicis adminiculis pertractantur: vulnera foris illata vel deligantur, vel fomentis similibusque in integrum restituuntur. Graviditas, partus difficilis et abortus semper singularem considerationem agendique modum sibi expetunt. Indicatio, non tempore sed loco secunda, in eo elaborat, ut ipsum sanguinis profluvium sistatur, quod sane easdem saepe difficultates nobis obtrudit, quas causarum removendarum negotium secum fert. Quum tamen metrorrhagia critica, aut saltem vicaria ideoque cum levamine conjuncta quandoque observetur, non temere, sed caute et circumspecte adstringentibus utendum est. Dein remediorum delectus secundum haemorrhagiae indolem habendus est, etenim in sthenicis plerumque detractiones sanguinis universales institui oportet, quibus sanguinis copia

minuatur et cursus ejus ab utero avertatur; omnia interna ex antiphlogisticorum classe desumenda sunt. Sin per haemorrhagiam periculum in mora oritur, quovis pacto comprimatur, necesse est, etiamsi auxilia adhibenda minus apte ad indolem universam respondeant, nam sedato profluvio facile alia iis substituuntur. Asthenicae metrorrhagiae, si erethismum prae se ferunt, acidis mineralibus praecipue curentur; digitalis purpurea, cum acidis mineralibus per vices data, parimodo prodesse traditur; sin torpor et paralysis vasorum uterinorum sese produnt, doses largiores acidorum mineralium, alumen, adstringentia concentrata, v. g. decoctum cort. chinae, cort. simarubae, cort. angusturae, lign. campechiensis et ferrum sulphuricum in usum vocentur. Denique praetermittenda non sunt remedia externa, inprimis si profluvium sanguinis immodicum vitae discrimen minitatur. Huc prae ceteris injectiones pertinent in uterum, paratae ex adstringentibus, ut aqua cum aceto, acido vitrioli diluto, vino, decoctis vegetabilium adstringentium, solutione ferri sulphurici aut aluminis; porro fomenta, uterinae regioni imposita ex iisdem substantiis parata, vel ex aqua frigidissima, nivibus, glacie. Hisce frigidis opus est, si sanguis magno cum impetu proruit, et vita periclitatur, tepidis vero, si metrorrhagia magis diuturnitate, quam vehementia nocet.

CURRICULUM VITAE.

Ego, *Augustus Henricus Baehrens*, natus sum Meinertshagae, oppido Guestphaliae, anno millesimo octingentesimo quarto, die quinto m. Septbr. patre *Conrado Baehrens*, medico, matre e gente *Ohleriana*. Primis litterarum rudimentis puerili aetate congruis, a patre optimo, deinde lingua germanica, gallica, geographia et historia a Rectore meritissimo *Bever*, lingua latina et graeca a venerando verbi divini ministro *Geck* eruditus sum. Anno millesimo octingentesimo decimo nono Bonnam me contuli, ut ibi Gymnasium celeberrimum frequentarem. Gymnasio relicto in universitate Bonnensi, examine legitime et feliciter peracto, testimonio, quod dicunt maturitatis impetrato, in civium academicorum numerum receptus, anno millesimo octingentesimo vicesimo die XII. m. Jul., ducibus praestantissimis artis medendi studio per anni spatium me tradidi. Intra hoc tempus Cel. a *Calcker* de logice, Cel. *Windischmann* de encyclopaedia et methodologia medicinae, Cel. *Meyer* de anatomia generali, Cel *Weber* de osteologia, anatomia speciali et medicina forensi, Cel. *Nees ab Esenbeck* sen. de botanice generali, Cel. *Nees ab Esenbeck* jun. de botanice pharmaceutica, Ill. a *Walther* de chi-

rurgia generali, Cel. *Bischoff* de chemia experimentali disserentes audivi, quoram omnium Virorum Illustrium memoria semper cordi infixa haerebit. Quum hanc reliquissem universitatem, adgressus sum almam musarum sedem Berolinensem anno millesimo octingentesimo vicesimo primo, in civium academicorum numerum die XVII. m. Octbr. receptus, et hisce praelectionibus per biennium interfui: Cel. *Eck* ad physiologiam, Clar. *Benecke* ad morbos psychicos, Cel. *Hecker* ad pethologiam generalem, Cel. *Turte* ad physicen et pharmaciam, Ill. *Horn* ad pathologiam specialem, Ill. *Hufeland* et Cel. *Wolfarth* ad therapiam specialem, Ill. *Berends* et Cel. *Osann* ad materiam medicam me instituerunt. Cel. *Hufeland* semioticen, Ill. *Link* pharmacologiam, Cel. *Jüngken* ophthalmiatricen, Cel. *Wagner* medicinam forensem et doctrinam de asphyxiis, Ill. *Rust* et *Kluge* akiurgiam, Ill. *Rust* curam morborum syphiliticorum, Cel. *Kluge* artem obstetriciam theoreticam et practicam, doctrinam de ossibus fractis et luxatis, nec non acologiam et chirurgiam, Ill. *Rudolphi* anatomiom universam et sensuum organorum, Ill. *Knape* syndesmologiam et formulas medicas conscribendi artem, Ill. *Rudolphi* et *Knape* cadavera incidendi artem me docuerunt. Scholas medico-clinicas duce Cel. *Neumann* adii. Per biennium et trimestre Chirurgi militaris munus in legione XXX pedestri obii, impetrata missione Berolinum reversus et in numerum civium academicorum denuo receptus sum, die XI. m. Oct.

anno millesimo octingentesimo vicesimo quinto, quo facto has praelectiones frequentavi:

Policlinicum moderante Ill. *Hufeland*, anatomiam interprete Exper. *Schlemm*, anatomiam sensuum organorum interprete Ill. *Rudolphi*.

Tentamine jam et examine rigoroso rite peractis, spero fore ut summi in medicina et chirurgia honores dissertatione hac et thesibus defensis hodie in me conferantur.

THESES DEFENDENDAE.

I. Malus trepanationis eventus non operationi, sed tempori quo instituitur imputandus est.

II. Rubeolas scarlatinae varietatem judico.

III. Haemorrhagia non morbus ipse, sed morbi tantum est symptoma.